

### Peticio A

Cum aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona non negat. Desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Pete: quere iusta, petendo et querendo crescas ut capias. Servat tibi Deus quod non vult cito dare ut et tu discas magna magis desiderare.

Augustinus de verbis Domini capitulo 1.

### Peticio B

Male usurus eo quod vult accipere Deo potius miserante non accipit, proinde si hec ab illo petitur unde homo leditur, exauditus magis metuendum est; ne quod posset non dare propicius, det iratus.

Augustinus super Iohannem capitulo 74: Quodcumque pacieritis.

### Peticio C

Sepe vox nostra eo perficitur quo differtur, et cum superficie tenus peticio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice solidantur, sicut et semina messium gelu pressa solidantur, et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt.

Gregorius libro 26. moralium.

### Peticio D

Desideria utique nostra dilacione extenduntur ut proficiant, ut ad hoc quod perceptura sunt convalescant, excitantur incertamine, ut maioribus cumulentur premiis. In retributione labor protrahitur pugne, ut crescat corona victoriae.

Gregorius ibidem.

### Peticio E

Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Gregorius in pastoralibus.

#### Peticio F

Non impetrat adeo bonum quod poscit qui eius legi non obedit. Si enim id quod Deus precepit facimus, id quod petimus sine dubio obtinebimus.

Isidorus libro 3. de summo bono.

#### Peticio G

Petentis negligencia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur.

Chrysostomus super illud Matthei: Petite et accipietis.

#### Peticio H

Supplicacio est quando desiderium mentis cum magna devocione exprimitur.

Hugo de sancto Victore.

#### Peticio I

Iustum est ut iugiter rogetur, qui si non petatur ostenditur.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Fac cum servo tuo et cetera.

#### Peticio K

Honestius est rem negare quam longos terminos dare, quia minus decipitur cui celeriter negatur, unde res ad multam instanciam exhibita cara videtur emptori.

Cassiodorus in quadam epistola.

#### Peticio L

Quis nostrum contentus fuit aut leviter rogari aut semel? Quis non cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adducit, vultum avertit, occupationes simulat longis sermonibus et de industria non invenientibus exitum occasionem petendi abstulit, et variis artibus necessitates properantes elusit? In angusto vero compressus aut negavit aut distulit aut promisit sed difficulter, sed superductis superciliis sed malignis et vix exeuntibus verbis.

Seneca libro 1. de beneficiis.

Peticio M

Qui timide rogabat, docet negare.

Seneca.

Peticio N

Nil petas quod negaturus fuisti, nil negabis quod petiturus fuisti.

Seneca.

Peticio O

Ingeniut autem ledes, cum indignum roges. Negat sibi ipse qui quod difficile est petit.  
Petenti auctoritas datur cum credit dominum prestare posse quod petitur.

Seneca in proverbiiis.